



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 55. Carolus amicorum suorum discessum suadentium consilia rejiciens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

mos Viros hanc ob rem accersitos con- Sæcul. XVI  
A.C. 1576.  
sultabat, illos efflictim rogans, ut libe-  
re suam quisque sententiam ediceret, ac  
decideret, utrum ipse tanquam Medio-  
lanensis Episcopus peste urbem suam  
Episcopalem depopulante, si ejus plebs  
gravissimis malis exposita relinqueretur,  
ibidem persistere, atque infirmis opem  
præstare teneretur, anve salva reli-  
gione inde recedere posset?

§. LV.

*Carolus amicorum suorum discessum  
suadentium consilia rejiciens.*

Illi viri, quos in consilium S. Carolus Ginss. l. c.  
vocabat, decidebant, quod vitam  
suam non evidenti periculo exponere,  
sed potius eam in utilitatem suæ diæ-  
cesis, cujus Mediolanum non nisi uni-  
ca pars esset, conservare teneretur, præ-  
cipue cum juxta ejus mandata infirmis  
abunde succurri posset, ipse vero sedu-  
lo considerare deberet, quod ejus Per-  
sona Ecclesiæ tantam afferret utilita-  
tem, ut sibi non æque, ac cuivis alteri  
Episcopo de sua vita disponere inte-  
grum relinqueretur, cum juxta divinæ  
Providentiæ leges ad altiora selectus ef-  
se videatur. Verum hæc decisio, quan-  
tumvis iidem illam pluribus exemplis,  
ac testimoniis fulcire niterentur, sancti  
Cardinalis animum non convincebat,

X 3

æri-



**Sæcul. XVI.** acriter propugnans, quod boni Pastoris  
**A.C. 1576.** partes exigent, ut in ejusmodi occa-  
 sione vitam suam daret pro ovibus suis, porro id pluribus sanctorum Patrum auctoritatibus, plurimorumque omnis ævi Episcoporum exemplis testatum reddebat: cum autem ejus amici horum facta fuisset perfectissimæ vitæ exempla, non autem vivendi præcepta reponerent, sanctus Carolus respondit: enimvero si hoc opus perfectum est, & ego ad illud obstringor, cum Episcopus ad acquirendam perfectionem ipsam tenetur.

Cum ergo Sanctus Archipræsul pro populi sui subsidio in urbe persistere decerneret, propriis quoque rebus suis adeo sollicitè prospiciendum esse censuit, perinde ac si certo moriturus esset, quapropter testamenti sui tabulas conscripsit, suisque hæredibus duntaxat ea reliquit, quæ ipsis ex legum privilegio a nemine subtrahi poterant: de cetero autem totius reliquæ substantiæ hæredem ex asse majus urbis Xenodochium nominabat, atque alia bona suis domesticis, variisque piis locis legabat: postquam igitur hac ratione de temporalibus bonis suis disposuerat, non nisi sublevandis ægrotis intentus erat, hinc se contulit ad Sancti Gregorii Xenodochium extra urbis mœnia situm, quod  
 qui-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1576.

quidam Mediolanensis Dux olim pro pestiferis erigi curabat: ibidem ergo Sanctus Borromæus infirmorum, qui tam sacro, quam profano auxilio destituti ingemiscebant, calamitates deplorans ad suæ Diæcesis valles Helvetiorum Dominio subjectas quosdam ablegabat, ut ex hisce locis nonnulli Ecclesiastici probitate insignes, necnon alii Viri charitate ferventes submitterentur, qui fratribus suis pietatis opera impendere velent: præterea ipsos quoque Religiosos implorabat: ne vero eorum Superiores piis illorum operibus, ac zelo sese opponerent, etiam a Pontifice facultatem impetrabat, quatenus eorum ministerio absque horum Superiorum consensu uti posset.

## §. LVI.

*Continuatum Sancti Caroli studium pestiferis succurrendi.*

Insuper summus Pontifex, ut omnes *Giussano c. 3. p. 295.* fideles ad opem suis fratribus in extrema hac necessitate constitutis ferendam accenderet, tam efficax diploma edidit, ut illud Sanctus Cardinalis typis imprimi, illique libro inferi jussit, quem in hac occasione divulgabat, unacum epistola Sancti Dionysii Alexandrini ab Eusebio Cæsariensi relata, in qua sanctus hic Præsul referebat præclara